

Niccolò Machiavelli

Testamenti

TESTAMENTUM NICOLAI DE MACHIAVELLIS De die 22 Novembris 1511

In Dei Nomine Amen. Anno Domini Nostri Jesu Christi ab ipsius salutifera Incarnatione millesimo quingentesimo undecimo, Indictione XV, die vero vigesima secunda mensis novembris. Actum in Palatio Magnificorum, et Excelsorum Dominorum Florentiae, et in Cancellaria Reformationum, praesentibus testibus ad infrascripta omnia et singula vocatis, habitis, et ex proprio ore infrascripti Testatoris rogatis, videlicet

| | |
|--|-----------------------------|
| Ser. Anton. Ser Anastasi, de Vespuccis. | Civibus publicis florentini |
| Ser Bartolommeo Miliani de Deis. | " " " |
| Ser Piero Ser Dominici de Bonaccursis. | " " " |
| Ser Filip. Nicol. Lippi de Prato Veteri. | " " " |
| Ser Luca Fabiani Angeli de Ficinis. | " " " |
| Ser Joanne Salvatoris Blasii de Puppio | " " " |

Bartolommeo Rufini Joannis de Rufinis populi Sancti Ambrosii extra muros de Florentia.

Cum nihil sit certius morte, nihil autem sit incertius hora mortis, hinc est quod Egregius Vir Nicolaus Domini Bernardi de Machiavellis, civis Florentinus, sanus, per gratiam Domini Nostri Jesu Christi, visu, mente, sensu, intellectu et corpore, nolens intestatus decedere, per hoc suum praesens nuncupativum testamentum quod dicitur sine scriptis, in hunc qui sequitur modum et formam, de bonis suis disposuit, et testatus est, videlicet etc.

In primis enim animam suam Omnipotenti Deo, ejusque gloriosissimae Matri semper Virgini Mariae, totique Caelesti Curiae Paradisi humiliter ac devote commendavit etc.

Item Jure Legati relinquit Operae S. Mariae del Fiore de Florentia, et operae novae sacristiae ejusdem Ecclesiae, et Operae murorum civitatis Florentiae in totum libras tres Flor. parv. videlicet cuilibet dictarum Operarum libram unam Floren. parv. etc.

Item Jure Legati relinquit Dominae Mariettae uxori suae dilectae, et filiae quondam Ludovici de Corsinis de Florentia, dotes suas per ipsum testatorem alias, ut dixit, confessatas. Volens insuper, disponens, et mandans dictus Testator, quod post mortem ipsius Testatoris, quam primum fieri poterit, per dictam Dominam Mariettam Tutricem, et pro tempore Curatricem, Gubernatricem, et Administratricem infrascriptorum (dictis nominibus) videlicet per Franciscum Pieri del Nero, aut per Philippum Banchi de Casa vecchia, Cives Florentinos etiam Tutores, et pro tempore Curatores, Gubernatores, et Administratores infrascriptorum, et prout intra successive relictorum institutos, vendant, et vendi debeant omnes, et singulas collanas, sive catenellas, omnes annulos tam dictae Dominae Mariettae, quam dicti Nicolai, et omnes, et singulas vestes et panni lanei, et linei, et de serico cujuscumque alterius qualitatum, et speciei, ad usum, et dorsum, et pro uso et dorso tam dictae Dominae Mariettae, quam dicti Nicolai quomodolibet deputatae, et factae, et deputati, et facti, et quod earum et eorum pretium, sive retractus, convertatur, et converti debeat in emptionem, sive acquisitionem creditorum Montis vel bonorum immobilium suprascriptorum haeredum dicti Nicolai. Cum infrascripta tamen conditione, videlicet, quod pagae hujusmodi creditorum Montis, seu fructus, redditus, et proventus hujusmodi bonorum immobilium pleno jure pertineant, et spectent, et pertinere et spectare debeant, ultra dotes suas praedictas, dictae, et ad dictam Dominam Mariettam ejus tantum vita durante, et ea stante vidua, et vitam vidualem, et honestam servante; et sic ex nunc dictus Testator hujusmodi pagas dicti Montis, seu fructus, redditus et proventus dictorum bonorum mobilium jure legati reliquit eidem Dominae Mariettae, durante tantum, ut dictum est, ejus vita, et ea stante vidua, et vitam vidualem et honestam servante, et non aliter. Ea vero transeunte ad secunda vita, reliquit eidem solum dumtaxat dotes suas praedictas, et nihil aliud.

In omnibus aliis suis bonis praesentibus et futuris suos universales haeredes instituit, fecit et esse voluit quoscumque filios suos legitimos et naturales, tam natos quam nascituros ex dicto Testatore, et dicta Domina Marietta ejus uxore

praedicta, vel alia quacumque ejus futura uxore legitima aequis portionibus, et eos ad invicem substituit vulgariter, pupillariter, et per fidei commissum. Tutricem autem, et proprio tempore Curatricem dictorum suorum filiorum tam natorum, quam nasciturorum, et tam masculorum, quam foeminarum reliquit, fecit et esse voluit dictam Dominam Mariettam uxorem suam praefatam. Et quia de ea, et de ejus integra fide totaliter confidit, reliquit, fecit, et esse voluit dictam Dominam Mariettam Generalem Gubernatricem, et Administratricem dictorum suorum filiorum tam natorum, quam nasciturorum, et tam masculorum quam foeminarum, et totius suae haereditatis, et bonorum suorum omnium, et singulorum, et omnium, et singulorum negotiorum dictorum suorum filiorum et filiarum, et totius suae haereditatis praedictae cum plena ampla, generali et libera et absoluta administratione, donec, et quousque minor natu dictorum suorum filiorum masculorum tam natorum, quam nasciturorum pervenerit ad aetatem decem et octo annorum completorum, declarans, et ei certa sua scientia expresse volens, et disponens dictus Testator, quod ipsa Domina Marietta non teneatur, nec modo aliquo cogi possit ad confectionem alicujus inventarii, nec ad aliquam promissionem faciendam, nec satisfactionem aliquam Tutelae, et pro tempore curae, gubernationis, et administrationis suae praedictae; sed in mei etc. ab praedictis omnibus et singulis, quia, ut dictum est, de ejus integra fide totaliter confidit, et ex ejus certa scientia, ut supra, eam ex nunc, prout ex tunc relevavit, liberavit, et absolvit, et relevatam, liberatam, et absolutam esse voluit, disposuit ac mandavit. Hoc tamen in praedictis excepto, et declarato, quod vigore auctoritatis, et potestatis sibi ut supra concessae, ipsa Domina Marietta non possit modo aliquo tendere, vel aliter modo aliquo alienare bona immobilia dicti Testatoris, sive ejus haereditatis, vel haeredum, nec ad longum tempus locare, nec etiam possit dictam ejus haereditatem, vel haeredes obligare ad dandum, et solvendum seu tradendum aliquam pecuniarum vel rerum quantitatem alicui personae, loco communi, collegio, societati vel universitati, nisi hujusmodi obligatio fiat cum expressa licentia et consensu Totti, fratris carnalis dicti Testatoris; praedicta tamen, ut supra, in praesenti Capitulo disposita, et deducta, quoad dictam Dominam Mariettam valere, tenere, attendi et observari voluit dictus Testator, si, et casu, quo ipsa Domina Marietta stet, et permaneat vidua, et vitam vidualem, et honestam servet, et non aliter quoquo modo.

Et quia succedere posset, quod ipsa Domina Marietta decederet ante quam minor natu dictorum suorum filiorum masculorum pervenerit ad dictam aetatem annorum decem et octo completorum, propterea dictus Testator voluit, et disposuit quod loco ipsius Dominae Mariettae totaliter et in omnibus, et per omnia quoad dictam Tutelam et pro tempore curam, gubernationem, et administrationem praedictam, et alia praedicta succedat, et subrogatus ex nunc intelligatur esse, et sit ille, quem ipsa Domina Marietta Vidua in suo, et per suum Testamentum, vel Codicillos nominaverit, et declaraverit sibi quoad praedicta succedere debere, et subrogatum esse.

Et si contigerit ipsam Dominam Mariettam decedere nulla facta nominatione, et declaratione dico sui hujusmodi successoris, et subrogati, vel eam transire ad secunda vota, tunc, et in dictis casibus, et quolibet, vel altero eorum, loco ipsius Dominae Mariettae quoad dictam Tutelam, et pro tempore curare, gubernationem, et administrationem, et alia praedicta et cum auctoritate et potestate praedicta, succedere, et subrogatum esse voluit Franciscum Pieri del Nero Civem Florentinum, et eo mortuo, Philippum Banchi de Casa Vecchia etiam civem Florentinum. Et sic ex nunc prout ex tunc in casibus praedictis et quolibet vel altero eorum dictum Franciscum, et eo mortuo dictum Philippum Tutorem, et pro tempore curatorem, gubernatorem, et administratorem praedictum reliquit, fecit, et esse voluit cum eadem auctoritate, et potentato et pro omnibus, et per omnia, et pro omnibus et singulis quoad omnes, et omnia et singula, et prout, et sicut de dicta, et quoad dictam Dominam Mariettam, supra dictum et dispositum est, singula singulis congrue semper, et apte referendo, cassans etc., asserens etc. rogans etc.

Ego Franciscus quondam Ottaviani Antonii de Ottavianis de Aretio Civis, et Notarius Publicus Florentinus de praedictis rogatus fui, et ideo in fidem me subscripsi etc.

Hoc est primum Testamentum Nicolai de Machiavellis, ut extat in suo Originali existente in publico ac generali Archivio Florentino in Protocollis Egregii olim Ser Francisci quondam Ottaviani Antonii de Ottavianis de Aretio in Protocollo tertio Testamentorum a. c. 206 etc.

ALIUD TESTAMENTUM NICOLAI DE MACHIAVELLIS De die 27 novembris 1522

In Dei Nomine Amen. Anno Domini 1522. Indictione XI (XVI ? ndr), et die 27 Novembris. Actum in Curia Mercantiae Civitatis Florentiae, praesentibus infrascriptis Testibus ad omnia et singula infrascripta vocatis, habitis, et ore proprio infrascripti Testatoris rogatis, videlicet:

| | |
|---|----------------------------|
| Ser Anton. Mini Francisci: de Merlinis. | Notar in dicta Curia, etc. |
| Ser Petro Paulo Ser Andreae Francisci de Spigliatis " | " " " |
| Ser Michaelae Jo. Michaelis Ture. " | " " " |
| Ser Petro Jo. Ser Macharii de Machariis. " | " " " |
| Ser Laurentio Francisci Angeli de Bibbiena. " | " " " |

Bartolommeo Rufini Joannis de Rufinis populi Sancti Ambrosii extra muros de Florentia.
 Augustino Francisci Joan. Baptistae Domicello dictae Curiae.
 Bernardo Dominici Bartoli, vocato Becino, Nuncio dictae Curiae etc.

Cum nihil certius sit morte, nihil incertius hora eius, hinc est quod Nicolaus olim Domini Bernardi de Machiavellis, Civis Florentinus, sanus, Dei gratia, mente, visu, corpore et intellectu, suum condidit infrascriptum in modum infrascriptum.

In primis animam omnipotenti Deo commendans, corporis sepulturam elegit in sepulcro Majorum.

Item Operae S. Mariae del Fiore reliquit libram unam, et libram unam Sacristiae dictae Ecclesiae, et libram unam aedificationi murorum etc.

Item reliquit Dominae Mariettae ejus dilectae uxori, et filiae Ludovici de Corsinis pro ejus dote, et in satisfactionem ejus dotis unum praedium cum Domo pro Domino, et labore, cum omnibus suis terris, et pertinentiis positis in comitatu Florentino, et in Potesteria S. Cassiani, in populo Sancti Andreae in Percussina, loco dicto *la Strada* cui a primo via publica, a secundo via vicinalis, a tertio Philippus de Machiavellis, a quarto haered. Nicol. Alexandri de Machiavellis, a quinto via publica, a sexto strata, cum omnibus masseritiis, quae tempore mortis Testatoris erunt in domo Domini dicti praedii.

Item unam domum aedificatam ad usum Factoris existentem super dictam viam publicam, et unam domunculam, ubi sunt duo canales apti ad vindemiam existentes in supradicta via, et omnia pro ejus dote, et in satisfactionem ejus integrae dotis.

Item eidem reliquit omnes pannos lino, et laneo, et de sirico, et annulos, et omnia alia ordinata ac ordinanda ad ejus dorsum, et usum.

Item eidem, ea vidua stante, durante eius vita, reliquit usum domus habitationis dicti Testatoris, una cum eo cui eam reliquerit, et ulterius omnes pannos, et lectum cum omnibus fornimentis camerati existentibus in dicta domo super salam dictae domus.

Item jure institutionis reliquit Bartholomeae ejus filiae, ultra dotem Montis, quam facere intendit pro ejus dote, omnes telas pannorum lineorum, etiam incisorum, quae erunt tempore mortis dicti Testatoris, et tam perfectas, quam inceptas, et unum nemus positum in populo S. Mariae Imprunetae juxta Grevem, denominatum Nemus Vallatum, cui a primo semen Bagnolini, a secundo, et tertio Sanctae Mariae Imprunetae, a quarto haeredum Francisci de Machiavellis, donec maritetur, et investiantur pro ejus dote in creditum dotium; et si haeredes Testatoris, vel aliquis eorum dabunt dictae Bartholomeae Florenos ducentos auri in auro pro ejus dote, dictum nemus reliquit eis, vel ei qui solvet: et ulterius dictae Bartholomeae donec matrimonium contrahat, et viro tradatur, reliquit pro ejus alimentis, et vestitu, quod ei per quemlibet dictorum haeredum solvantur, Florenos tres auri in auro singulis annis.

Haeredes instituit, Bernardum, Ludovicum, Guidonem et Pierum ejus filios, et alios filios nascituros masculos legitimos et naturales, et ne scandala, quae ex comunione oriri contingit, oriantur, eos divisit in modum infrascriptum.

In partem Bernardi primogeniti voluit esse praedium vocatum *il Poggio*, positum in dicto Populo Sancti Andreae in Percussina cum quercubus, sodis, vineis, et omnibus suis bonis, et pertinentiis, cui a primo via vicinalis, a secundo Domina Lucretia uxor olim Petri del Rosso, a tertio haeredum Dominae Antoniae de Machiavellis, a quarto Flumen Grevis, a quinto fossato, sexto nemus Cafaggi, septimo dicta Ecclesia Sancti Andreae; et quod in praesenti parte comprehendant Machia brachiorum quae vadit a Fontalle usque ad nemus Cafaggi, et vinea Fontalle usque ad fossam, et a dicta fossa et dicta vinea sit in parte Ludovici, ut infra non obstante grocta dictae vineae laboratae a labore praedii praedicti. Item unum Campettum positum juxta Grevem, cui a primo via, secundo et tertio Ecclesia Domus Veteris, a quarto Fossato. Item duae quintae partes nemoris vocati Sorripa, positae in dicto Populo ad commune pro indiviso cum Domina Lucretia, uxore olim Petri del Rosso. Item unum petium Terrae olivatae positum in dicto populo, loco dicto a Vallassi, cui a primo via Vicinale, a secundo, tertio, quarto, dictae avolae de Machiavellis.

In parte Ludovici voluit esse praedium vocatum Fontalla, rive praedium novum, et unum nemus quercuum vocatum Cafaggio, et nemus vocatum le Grotte in dicto Populo, cui a primo via publica Romana: a secundo supradictae Dominae Lucretiae; a tertio Fossato; a quarto supradicti praedii dal Poggio, et Vineae, et reliquum supradictae Vineae cum campis,

et Grottis, Arcum Area, et locus ubi lavat; et ubi dicit fieri murmur, et ea fonte sit in praesenti parte. Item dimidium domus positae super stratam Romanam, ubi sunt octo Canales, sit in praesenti parte pro indiviso cum superscripto Bernardo reliquum sit supradicti Bernardi.

In parte Guidonis domum de Florentia cum Domuncula retro in Populo S. Felicitatis super viam Plateae, cui a primo via, a secundo haeredum Francisci de Machiavellis, a tertio borsa unius votati Bondo, a quarto Chiasso, a quinto haeredum Laurentii de Machiavellis. Item unam domum ad usum Osteriae cum alia domo ad usum Becchariae positas in superscripto Populo S. Andreae in Percussina, et super strata Romana.

In parte vero Petri unum praedium positum in dicto Populo S. Andreae, loco dicto Monte Pugliano, cui a primo, via publica, vocata via Grogolis; a secundo, tertio, quarto, Fossatum infra praedictos confines, et in casu molestiae sive evictionis quilibet teneantur pro rata, et si plures alios nasci contigerit, habeant portionem superscriptorum bonorum, et redividant inter eos, et quod post mortem alicujus eorum, quandocumque venire contigerit, succedant filii masculi legitimi, et naturales, et eorum filii, et descendentes unius gradus post alium, et deficiente uno sine filiis, vel cum filiis, et deficiente ejus linea vadant ad alios superviventes, et eorum filios et descendentes masculos in infinitum successive de gradu in gradum, quos invicem substituit per fidecommissum, et prohibuit omnem speciem alienationis tam inter vivos, quam in ultima voluntate, et locationem ad majus tempus quam quinque annorum, et si aliter fieret, voluit ut vadant ad alios, qui non contrafecerint, qui succederent per modum superscriptum; quod si neglexerint recuperare infra annum, vadant ad alios sequentes.

Et si Bernardus, et Ludovicus voluerint habitare in domo de Florentia relicta Guidoni, si habitabunt de voluntate Guidonis, teneantur solvere Guidoni pensionem condignam; et si Bartholomeae, tempore mortis Testatoris, non erit facta dos super Montem, teneantur dicti haeredes curare quod habeat: et omnes bestiae, et debita laboratorum superscriptorum bonorum sint ejus, cui sunt relicta, et similiter debita.

Tutores et pro tempore Curatores filiis minoribus reliquit Dominam Mariettam ejus uxorem, et voluit, quod donec erunt aetatis decemnovem annorum, ipsa administret eorum bona usquequo de eis ullum computum debeat, acceptet, vel non acceptet Tutelam, et si peterent eam reddere rationem, tunc annuus fructus per eam perceptos eidem reliquit; et cum erunt annorum decemnovem, cuilibet eorum voluit panem adsignari.

Executores reliquit Franciscum Petri del Nero, Ser Franciscum Bonedicti de Nerlis, Carolum Francisci de Machiavellis, et quemlibet eorum in solidum.

Et hanc dixit, et asseruit dictus Testator, esse, et esse velle sum Testamentum, et suam ultimam voluntatem, quam praevalere voluit omnibus aliis Testamentis, Codicillis, Donationibus causa mortis, et quibuscumque aliis ultimis voluntatibus per eum hactenus factis, et si jure Testamenti non valeret, vel valebit valeat et valere voluit dictus Testator jure Codicilli; et si jure Codicilli non valeret valeat et valere voluit jure donationis causa mortis, vel cujuscumque alterius ultimae voluntatis, quo, qua et quibus magis, et melius et validius de jure subsistere et valere potest, cassans, irritans, et annullans dictus Testator omne aliud Testamentum, Codicillos, Donationes causa mortis, et omnem aliam ultimam voluntatem per dictum Testatorem hactenus factam et conditam manu cujuscumque Notarii, non obstantibus quibuscumque verbis derogativis, poenalibus, vel praecisis in dicto Testamento apposis, rogans me Bonaventuram Notarium antedictum, e infrascriptum, quatenus de praedictis publicum conficerem Instrumentum.

Ego Zenobius olim Ser Bonaventurae Leonardi Bonaventurae Notarius Florentinus, et Commissarius Ordinarius Imbreviaturarum dicti Ser Bonaventurae morte praeventi, et de praedicto Testamento rogati praedicta sumpsi et copiavi ex originalibus libris, et scripturis dicti Ser Bonaventurae, et ideo in fidem me subscripsi, et solito signo signavi.



Biblioteca



Progetto
Machiavelli

© 2001 - by prof. Giuseppe Bonghi

- E-mail: [Giuseppe Bonghi](mailto:Giuseppe.Bonghi)

data ultima modifica: 14 luglio, 2001